

1903

C O D I C E S

1904

*do inscribuntur, et prima quidem jam fol. 6. p. 2. Sermo de Purificatione beate marie uirginis. incipit is: Postquam impleti sunt dies purgacionis marie secundum legem moysi. ea que secuntur. i. tulerunt ibesum in ierusalem ut sisterent eum domino. Ideo non proponimus. quoniam eos ad quos hec pertinent docere non debemus. Ipsi enim doctorem habent deum. qui scientiarum dominus est. et ideo necesse non habent ut quis eos doceat. &c. Quinam vero hi? Angeli, qui nos finita purgatione Deo praesentant. Nihil ejusmodi in Editis Bernhardi, neque in Festo Purificationis, neque in Festo Michaelis. Idem dic de Sermone sequenti in Purificatione pariter Bernardo tributo, cuius initium: *Quod celebramus diuina iuuante gratia eciam agere uellemus* &c. Idem de aliis sex per decursum Sermonibus, donec tandem in genuinum ejus Sermonem II. de Adventu Domini, qui incipit: *Audiuimus suadentem Regi Achaz* &c. fol. 122. incidat. Nota tamen inter sermones αδεσπότες quosdam etiam reperiri Bernhardinos, ut est ille fol. 130. in vigilia nativitatis domini de sentencia (Maur. de pronunciatione) martyrologij. Sonuit vox leticie &c. Atque haec de Homiliarii hujus indole notasse sufficiat; neque enim animus fuit excutere singulas Homilias, quod multae genium Bernhardi non sapient, et fortassis ex iis essent, quas Mauriani in Editione recentiore Colon. et Homeyanu Patrum Supplemento destituerunt,*

ne in spuriarum quidem Classem referentes, quibuscum Codicem nostrum penitus contendere poterit is, e cuius re fuerit. Illum in Bohemia aut scriptum, aut saltem olim versatum fuisse, e vocalis Myla Maria ad calcem Homiliae fol. 9. adjectis concludo.

DCCXCVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 206 cum Adpendice membranea Sec. XIV. Folior. 108. 4. non una manu scripta Farrago est continens 1) post Fragmentum Initii Geneseos sermones VI. de Festo Dedicacionis. 2) Martyrologium, five breves Memoriae Sanctorum, de quibus per anni circulum officium fit in Ecclesia, auspicando ab Adventu. *Aduentus christi agitur per 4^o septimanas ad signandum, quod est quadruplex aduentus filii dei* &c. Finit in Chrysantho et Daria. In Germania scriptum docet *Transfiguracio die Wandlung der gestalt gotcz.* 3) sermones V. de Passione, Resurrectione et Dedicacione. 4) Incipiunt decem Precepta secundum uetus et nouum testamentum. Methodus tractandi haec est, ut primum natura cuiusvis Praecepti explicetur, dein illustretur e veteri, tum e novo Testamento, demum a figura unius e decem Plagis Aegypti. Initium: *De decem preceptis tractaturi in generali breuiter est docendum* &c. 5) Tractatus de VII. Vitiis capitalibus et totidem obpositis Virtutibus sub Schemate totidem Adparitorum

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4910

1905

H O M I L E T I C I .

1906

*rum a Diabolo et Deo missorum jam Vol. I. indicatus. Incipit: Misit Rex Saul septem apparitores ut raperent David. 1. Reg. 19. &c. 6) Sermo de nouem peccatis alienis in illud: Ab occultis meis munda me domine, et ab alienis parce seruo tuo. Ps. 18. Incipit: Ista verba sunt prophete David in quibus duo petit &c. Valde popularis est, et inter alios monet illos, qui a meretricibus, uel lusoribus, uel subtructoribus seu Phothsneydern censem recipiunt. Sartores indusiorum lineorum intelligi puto a antiquato sed Rusticis vel hodie familiari Pfaid, goth. *Paida*, island. *Paita*, lacinias subfurantes, qui etiam dum Plebi nostrae Pfaidler dicuntur; unde Sermonem hunc Germanis habitum intelligas. 7) Homiletica varia, Loca Bernhardi, Themata Dictionum.*

II. fol. 81. Incipit, ut in calce habetur, Officium contra grandines et tempestates. Sacerdos pri-

mo celebret missam de beata virginne, Officio vero completo Sacerdos accipiat corpus christi cum nola sonante et cum sacris indumentis et deferat secum circa fruges legensque quatuor Inicia que secuntur. ad quatuor plagas scilicet meridianum occidentem aquilonem et orientem et primo legat sanguinem evangelium ut supra. Evangelii singulis subjunguntur Exorcismi et Orationes, et in fine adduntur Benediciones Agni paschalis, Carnium, Lardi, Casei, et Panis.

III. fol. 87. Incipit summa Raymundi Prosayca. Nota est Raymundi de Pennafort O. P. a. 1256. defuncti Summa IV. Libris constans, glossis illustrata ab ejus Sodali Guilelmo Rhedonensi, ut pluribus exequitur Quetifus T. I. p. 109. Hanc quidam, quem Adamum vocat Fabricius Bibl. med. Lat. L. XV. p. 225. in Compendium metricum redegit, quod mihi objacet impressum Col. 1495. 4. et incipiens:

Summula de summa raymundi prodijt ista.

Et quanquam Redactor hic dicat:

*Inter doctores hunc nolumus ire libellum,
Paruis et rudibus quem duximus esse legendum;*

contrarium tamen sentit praesens Pedester noster, qui vult, ita enim orditur, Ut ponatur ad verba prosayca propter hoc, ut in una lectione simpliciter quilibet aliquatenus loqui sciens latinum ipsam intelligat absque omni glosa et difficultate supplicatione necessaria ver-

borum dimissorum in versibus. Atque adducto exemplo Bibliorum, Patrum, ICTORUM et Medicorum, qui omnes soluta oratione usi sunt, ridicule in Poetas invehitur tanquam solos, qui secundum philosophum primo Metaph. Multa menciantur adorantes ydola et scribentes

1907

C O D I C E S

1908

bentes libros metrice, quos prius alij scripserunt profayce, destruentes utique per hoc communem modum loquendi latinum ipsis scolaribus &c. Summam metricam per spacium fere dimidij anni Discipulis paelegi consueuisse, suam in uno mense de die in ea studendo per unam horam intellecturos, et quae sunt ejusmodi frivola.

IV. fol. 99. manu Sec. XIV. in membrana per 2. columnas Inci-

piunt capitula exceptionum quarundam collectarum de opusculis beati Bernhardi continencium quedam uerba melliflua de beata Virgine M. Sunt VI. verum sequuntur VII. alia in diversos Textus N. T. sacris Oratoribus, ut videatur, destinata.

Codicem utrinque vestit Membrana Psalterii hebraici fragmenta nitide scripta a Ps. 16—34. exhibens, de qua vere dicas:

Dochor est Codice Theca suo.

DCCXCIX.

U. 45

Codex chartaceus lat. Sec. XV.
Folior. 205. f. partim per duas columnas minio distinctas, partim lineis longis exaratus hanc in anteriore Theca Notam praefert,
Hic continentur aliqui sermones facti in deposicione defunctorum. Item exposicio epistole pauli ad ephesios secundum quod legit in scolis egregius vir Magister Petrus (Reicher) de Pirchenwart, cuius anima deo viuat. Item exposicio epistole pauli ad philipenses. Item postea dubia circa epistolulas predicas secundum ordinem usque ad finem. Initium igitur faciunt sermones XIV. funebres, partim adaptati Commemorationi OO. Fidelium Defunctorum, partim specialibus Exequiis, puta nobilis et potentis Viri, Archiepiscopi, Episopi, Abbatis, Senis, Juvenis, multum Passi &c. Hos inter notandus fol. 20. p. 2. Sermo X. qui incipit: *Propter sapientiam et scientiam horum que dicuntur*

ducis vita longior erit. Prov: 28. Rumores flebiles et lugubres audiimus qui nobis omnibus ingerunt amaritudinem et dolorem videlicet de subtractione karissimi viri s. domini karoli ducis Regni Iherusalem et Sicilie regis Illustris — qui de morte sua dampnum magnum est et maxima iactura non solum regi patri suo. et domui regie. et toti regno Sicilie. verum etiam Romane ecclesie cuius erat fidelissimus propugnator. Est is Carolus Dux Calabriae Patri suo Roberto Andegav. praemortuus 10. Nov. 1328. Unde Orator noster: Benedictus deus qui dedit dauid in domino Ruberto iherusalem et Sicilie rege, per dauid conuenienter intellecto filium sapientissimum scilicet dominum karolum kalabrie dicem. Comparat deinceps hunc Ezechiae conterenti statuas et serpentem aeneum, et invehitur in credentes esse christi vicarium et imperatorem verum ubi non erant. Christi enim vicarius non erat tunc Rome sed in Auinione; nec Imperator